14

DE

MORBIS PROSTATAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EMANUEL HOLZMANN

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. BERGSON, MED. ET CHIR. DR.
H. MIKLIS, MED. ET CHIR. DR.
S. SAMOSTZ, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLÆNDERIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Morbi e glandula prostatae affecta prodeuntes ob situm absconditum hujus organi plerumque non dignoscuntur, et cum morbis organorum vicinorum facillime confunduntur, aut diagnosi constituta, a plerisque, ob parvum, ut putant, functionis physiologicae glandulae momentum, non magni aestumantur. Omnis enim intumescentia et inflammatio, vel alia hujus organi affectio symptomatibus constipatur ab illis non multum abhorrentibus, quae in lithiasi, urethrae stricturis, haemorrhoidibus, inprimis vesicae, aliisque organorum uropoëticorum morbis observari licet; attamen

sedula investigatione sedem mali propriam et originariam detegere medico contingit, qua quidem neglecta aegrotus in idem aut majus vitae discrimen adducitur, ut in aliis periculosis morbis. Optandum igitur est, ut prostatae affectiones pluris in praxi habeantur quam fieri solet.

Quae a me tirone obiter tantum cognita et collecta sunt, aliorum animos advertant, ut hanc medicinae partem viribus magis idoneis et excultioribus elaborent.

Caput I.

PROSTATITIS.

§. 1.

Prostatitis distribui potest, quod spectat ad decursum, in acutam et chronicam, quod ad causas, in idiopathicam et sympathicam. Nos praecipue de prostatitide acuta tractaturi sumus, cum prostatitis chronica ut idiopathica non existat atque ad symptomata prostatonci, de quo fusius in hoc opusculo disseremus, referatur.

§. 2.

Prostatitis acuta haec prae se fert symptomata: aegrotus queritur gravitatem quandam doloremque urentem seu pungentem in parte urethrae posteriori ad rectum, cujus paries anterior a glandula tumefacta premitur, se extendentem: qui dolor sub urinae emissione alvique excretione, nec non si perinaeum tetigeris, magnopere augetur. Impulsus vero ad urinam edendam sine ulla fere intermissione adest, et si aegrotus necessitati saepius veritatem simulanti obedierit, urina sub doloribus vehementissimis stillat, vel rivulus ejus subito interrumpitur, sicuti in iis, qui vesicae calculo laborant. In orificio urethrae singularis ab aegroto pruritus sensus percipitur, quo ad glandem di-

gitis fricandam cogitur.[1]) Semper vero simul cum urina faeces urgent, quae, si excernuntur ac si durae sunt consistentiae, impressionem a prostatae tumore ostendere dicuntur, quod tamen symptoma, ut diagnosticum, a Bichat et Kern non magni aestumatur. Saepe autem aegrotus necessitate alvi deponendae decipitur, neque raro tenesmo cruciatur. Aegrotus nec sedere, nec quiete in lecto jacere potest, quum his positionibus perinaeum ideoque prostata imprimatur. Progrediente inflammatione symptomata systematis nervosi ac digestionis affecti in lucem prodeunt, uti ructus, nausea, vomituritio, vomitus ipse, quibus phaenomenis vesica ab urina extensa sursumque in intestina pressa, ansam praebere videtur, quod quidem eo magis fieri debet, quo magis constat, organa digestioni dicata, propter nervorum quibus praedita sunt copiam, ab omnibus fere organismi affectionibus in consensum vocari; tum etiam febris, nisi jam ab initio affuerat, prodit secundum inflammationis vim nec non aegri reactionem, characterem synochalem aut erethicum prae se ferens.

§. 3.

Ad diagnosin hujus mali stabiliendam symptoma objectivum, exploratio nimirum tumoris glandulae plurimum confert. Digito enim oleo illito in intestinum rectum immisso et in parietem ejus anteriorem presso, glandula tumefacta, calida et dolorifica sentiri potest. Nec minus applicatio catheteris in casibus, ubi propter urinae retentionem exposcitur, hanc glandulae affectio-

1) Vincent v. Kern, die Steinbeschwerden der Harnblase und ihre verwandten Uebel. p. 55.

nem adesse, nobis demonstrabit; instrumentum enim ad partem usque membranaceam urethrae inductum hoc loco impedimentum invenit, quod propter tumorem glandulae, doloresque tactu instrumenti adauctos superari nequit.

§. 4.

Verumtamen prostatae inflammatio non semper sine difficultate ab aliorum organorum, quae in vicinitate glandulae sita sunt, morbis discernitur; inprimis confundi potest cum doloribus a calculo vesicali proficiscentibus, praesertim si collum occuparunt. Dein tumor glandularum Cooperi, intumescentia inflammatioque vesicularum seminalium, scirrhositas earundem nec non recti intestini, denique stricturae urethrae, saepissime simul cum prostatae morbis existentes, phaenomena edunt inflammationem prostatae plus minus mentientia.

§. 5.

Calculi vesicae symptomata prostatitidi similia quod attinet, ad utriusque morbi diagnosin fere his utimur signis.

1. Prostatitis subito plerumque prodit, decursum suum brevi temporis spatio in varios exitus terminans; at contra calculi, cum eorum formatio pedetentim solummodo progrediatur, priusquam accessiones graves provocant, jam molestias varias, uti dysuriae periodicae nec non pollutionum nocturnarum, produxerunt, quibus urinae ipsius qualitas chemica, secundum variam calculi formationem et compositionem varia accedit.

2. Dolores inflammatorii, a calculis vesicae urinariae commoti, solent diminui vel saltem mutari, in aliumve locum transduci, mutata aegroti corporis posi-

tione. Sic e. g. calculo vesicae laborantes levamen ab atrocissimis doloribus, sub urina emittenda eos cruciantibus, percipiunt, si in dorso cubant, atque urina, quae cum stabant effluere desierat, nunc facile emittitur; dolores contra e prostatitide orientes se minus remittent, inque eodem loco perseverabunt.

3. Catheteris etiam applicatio viam nobis tutam ad morbum cognoscendum indicabit; nam in prostatitide propter tumorem glandulae atque dolores vehementes, qui aegroto catheterismo parantur, quominus instrumentum in vesicam procedat, plane impeditur; verum in lithiasi vesicali, cathetere aut specillo iterum iterumque adhibito, calculus tangatur oportet.

4. Causae prostatitidis, aliaeque affectiones morbosae, quarum connubio gaudet, in diagnosi statuenda nos adjuvabunt.

5. Calculis denique in universum viri provectioris jam aetatis laborant; prostatitis autem acuta saepius in juvenibus quam in senibus occurrit.

§. 6.

Causae prostatitidis et quidem idiopathicae sunt: laesiones mechanicae, lapsus in perinaeum, manipulationes a rudi manu ad inducendum catheterem in vesicam urinariam institutae, abusus ciborum multis condimentis praeparatorum potuumque spirituosorum, equitatio, nimius corporis motus, refrigeratio partium genitalium, earum irritatio modum excedens in coeundo, alia. Inter causas prostatitidis sympathicae frequentissima est urethritis syphilitica, quae in summo inflammationis stadio ad prostatam usque propagatur, vel injectionibus irritantibus, praecipue ex praeparatis metal-

licis cereolisque in stadio irritationis gonorrhoeae adhibitis, nec non usu balsamicorum huic stadio minime accommodatorum suppressa, prostatae glandulam corripit.

§. 7.

Prognosis varia est secundum hujus morbi decursum, symptomatum febrisque indolem atque causas. In acuta igitur et idiopathica prostatitide, praecipue illa ex laesione mechanica suborta, sat bonum licet nobis praedicere eventum; contra prostatitis chronica, cum propter varias dyscrasias, quibus plerumque originem suam debet, variis degenerationibus subjecta sit, minus faustam concedit prognosin. Inter symptomata vero illud maximum minatur periculum, quod nusquam fere in hoc malo deest, scilicet retentio urinae, qua ad ischuriam completam usque adaucta, vesicae membranae urina extendi adeoque perrumpi possunt, ita ut infiltratio urinae in abdomen, eamque mors subito sequatur; vel retenta acerrima urina jam prius cystitis suboritur. Schönlein casum refert, ubi paracentesi vesicae facta, nullam urinam effluere aegrotumque morte exstingui vidit.[1])

§. 8.

Cura. Praeter methodum antiphlogisticam, quae in prostatitide quoque in majore vel minore extensione in usum vocanda est, attentionem nostram in dysuriam, ne transeat in ischuriam completam, dirigere debemus. Itaque sanguinis detractio vel tantummodo localis, hirudinibus pluries ad perinaeum et rectum ap-

1) I. L. Schönlein's Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie, 4. Bd. p. 172.

plicatis, vel etiam universalis, venaesectione instituta, si id symptomatum characterе postulatur, adhibenda est. Praeterea quies situsque vel horizontalis vel lateralis observetur necesse. Dein fomentationes et cataplasmata ex speciebus emollientibus cum narcoticis, v. g. Cicuta, Conio vel Hyoscyamo, infrictiones in perinaeum vel in latus cruris internum ex unguento Hydrargyri cinereo, vel Kali hydroiodico, balnea et clysmata tepida saluti erunt aegroto. Clysmata vero cauta manu applicentur oportet, ne tubulo in rectum inducto prostata irritetur, quare illa magis posteriorem recti parietem versus dirigantur necesse est. Ad usum internum Hydrargyrum muriaticum mite, quod effectu suo bono contra omnes fere glandularum affectiones etiam hoc in casu gaudet, aptissimum est medicamentum, idque eo magis, quod praeter virtutem antiphlogisticam, quae huic remedio inest, primum alvi excretione, quam stimulat, excrementorum accumulationem in intestino recto, inde igitur irritamentum quod ex illa prostatae inflammatae enascitur, avertit; tum, si inflammatio ex contagio syphilitico originem duxerit, veneni progressum cohibet. Inflammatione per urethritidis syphiliticae metastasin provocáta, cereoli unguento Hydr. praecipitat. rubr. peruncti urethrae inducantur. Ex refrigerio si est oborta, Opium, quod quidem post venaesectionem demum ad pedem institutam porrigatur, saluberrimum est, non solum quod corporis transpirationem auget ideoque causam amovet, sed etiam quod dolores stranguriae acerrimos mirifice mitigat.

§. 9.

Si aegrotus ischuria, symptomate inflammationis

prostatae gravissimo, cruciatur atque timendum est, ne, antequam remedia antiphlogistica vim suam exercuerint, vesica urinaria extensa rumpatur, catheter isque elasticus applicandus est. Melius est, si instrumentum etiam post urinae emissionem in vesica remanet, quam repetita illius inductio, quod semper cum doloribus conjunctum est, raroque succedit.

§. 10.

Verum enim vero si catheterismum nullo modo institui licet, ac vesica ab urina ita est extensa, ut e minore pelvis apertura in abdomen ascendat; si hoc supra symphysin ossium pubis tumet et dolet manuique perquirenti fluctuationis sensum praebet, tum nil obstat, quominus vesicae punctio supra hunc locum instituatur.

§. 11.

Recentissimis temporibus fausto cum eventu, lobulo medio prostatae inflammato, organon hoc acu triquetra perforatum esse dicitur, quare collabatur et urina mitti possit. Schönlein[1]) in illis casibus, qui omnia remedia illudunt, scarificationes, seu per rectum seu per perinaeum, ad majorem sanguinis emissionem idoneas putat et commendat.

§. 12.

Prostatitis in eosdem ut aliorum organorum inflammationes exitus abire potest. Praeter gangraenam, quae raro tantummodo observatur, suppurationem, ex-

1) I. L. Schönlein's Pathologie und specielle Therapie. 4. Bd. p. 173.

ulceretionem et indurationem prostatae fusius tractaturi sumus.

Caput II.

SUPPURATIO PROSTATAE.

§. 13.

Suppuratio glandulae prostatae a Rust,[1]) Home,[2]) Lallemand,[3]) I. P. Frank[4]) et aliis scriptoribus observata est. Abscessus vel in ipso glandulae parenchymate, vel in tela cellulosa, quae adjacet lobulosque singulos inter se conjungit, locum habet. Cum hic plerumque in regione capitis gallinaginis dehiscat, similia symptomata atque inflammatio prostatae in conspectum ducere solet, quibus se jungunt horripilationes haud raro saepius redeuntes, sensusque caloris adaucti, molestiae vel pressionis in regione perinaeali. Rupto abscessu una cum urina pus muco permixtum

---

1) I. N. Rust, Aufsätze und Abhandlungen aus d. Gebiete d. Medicin, Chirurgie u. Staatsheilkunde. Bd I. Berl. 1824. pag. 78.

2) E. Home, Traité ou observations pratiques sur les maladies de la prostate. Traduit de l'anglais par Marchant, pag. 155.

3) Lallemand, Observations sur les maladies genito-urinaires, pag. 99.

4) I. P. Frank, Behandlung der Krankheiten des Menschen, aus d. Latein. von Sobernheim. §. 770.

excernitur, nec desunt exempla, in quibus massae evacuatae plus minus sanguinis admixtum erat; quin ipsius haemorrhagiae tali in casu exempla traduntur.[1]) Solet etiam in glande penis dolor sentiri, ac si a carbone candente provocaretur. Pus corrosis partibus vicinis vel in rectum, vel in vesicam urinariam, vel in telam cellulosam circumjacentem penetrare, et ita fistulis, ad vesicam, anum, perinaeum, quin ad scrotum[2]) usque repentibus, ansam dare potest.

§. 14.

Suppuratio glandulae prostatae pro vesicae urinariae ipsius inflammatione ac suppuratione a calculo orta saepe habetur, quod eo accidit facilius, quo major est utriusque affectionis symptomatum similitudo, praesertim cum abscessus, postquam ruptus est, in ulcus colli vesicae transiturus sit. In omnibus casibus ab Home observatis semper abscessus jam ruptus erat, ita ut mali indolem perscrutari tantum e morbi historia et ea re posset, quod acumine catheteris locum ulcerosum sentiret, instrumentum hoc facile usque eo adigeretur, ultra vero in vesicam non duceretur.

§. 15.

Ad diagnosin condendam inflammationis catarrhalis vesicae urinariae et suppurationis prostatae, natura prolabentis materiae mucosae vel puriformis indagetur oportet. Ita secundum illos scriptores, qui certis discriminibus profluviorum e variis organorum uropoëti-

---

1) E. Home, l. c. p. 156.
2) I. P. Frank, l. c. §. 534.

eorum morbis orientium stabiliendis studebant, sedimentum mucosum, crassum puriforme, quod in urina ima colligitur et in vasis fundo se libere movet, catarrhalem tunicae mucosae vesicae indicat inflammationem; sedimentum puriforme, dum forma prostatae parva, mollis, plana sentitur, destructionem ejus suppurativam demonstrat; sin vero, eadem puris natura, prostata integra invenitur, illud ex renibus proficisci verisimile est[1]).

§. 16.

Cura. Studendum est, ut puris effluvium in loco eveniat, quo minus obstat periculi, per perinaeum scilicet, quod quidem raro fit, cum plerumque pus in urethram vel anum sese effundat. Ubi abscessus cum collo vesicae communicationem jam iniit, tum non modo summa quies ab aegro teneatur necesse est, sed quotiescunque urinae edendae necessitas adest, statim ei catheter inducendus, ne urina, contactu abscessus, et hunc irritet et ita curationem prohibeat.

§. 17.

Ad usum internum porrigantur decocta mucilaginosa, e. g. Dct. radicis Salep, Althaeae; ad dolores mitigandos narcotica adhibeantur, e. g. Opium in forma pulveris Doveri, Hyoscyamus, Cicuta et iis similia. In constitutionibus debilitatis et cachecticis interdum ad Chinae corticem confugiendum. Externe injectiones ex mucilaginoso quodam, cataplasmata emollientia et balnea tepida multum juvabunt.

---

1) Lallemand, observations sur les maladies genito-urinaires, p. 152.

Caput III.

EXULCERATIO PROSTATAE.

§. 18.

Diagnosis hujus mali difficilis est; facile enim intelligi potest, symptomata hanc affectionem comitantia etiam in ceterorum sexus organorum et uriniferorum morbis, inprimis in lithiasi, obvia esse posse. Home signum exulcerationis prostatae mucum una cum urina effluentem haberi vult; hujus vero naturam non accurate describit, nisi quod tenacem eum nuncupat. Hunc mucum nonnisi prostata affecta secerni, ejusque secretionem, si modo sit accidentalis, status inflammatorii, sin jam per longum temporis spatium constiterit, nullis remediis cedens, ulcerosae conditionis prostatae esse indicium. Cum vero illa materia tenax e multis organis uropoëticis effluat, hoc signum minime pro diagnostico haberi potest.

§. 19.

Duae praecipue causae exulcerationem prostatae producere dicuntur, quarum una in eo sit posita, quod partiunculae glareae irregulariter conformatae, e vesica urinaria prodeuntes, ad caput gallinaginis implicentur, tunicaque acuminum acie divulsa, paullatim in substantiam glandulae penetrent, eaque contineantur. Uti altera causa catheterum usurpatio perversa accusatur, metallicorum scilicet, quod inprimis accidit, si glandula prostatae jam per se affecta instrumenti impetui non ita potest resistere, ut non divellatur.

§. 20.

Cum glareae illae firme glandulae adhaerentes nonnisi operatione periculosa removeri possint, ulcera vero celerrime sanas adhuc partes corripiant, nullo modo aegroto succurrere possumus, nisi dolores vehementes, qui praecipue urinae contactu loci ulcerosi eum cruciant, catheterismo atque remediis palliativis supra memoratis mitigemus.

Caput IV.

PROSTATONCUS. TUMOR PROSTATAE CHRONICUS.

§. 21.

Prostatoncus (a προστάτης et ὄγκος), seu tumor prostatae chronicus, prostatocele, engorgement de la prostate Galloium, hypertrophia glandulae prostatae, induratio prostatae, est sequela irritationis hujus organi, vel prostatitidis minus acutae quam chronicae, lente in glandula progredientis. Hoc malum eo facilius cognoscitur, quo majore ambitu tumor gaudet. Glandulae prostatae, in statu normali pollicis in quadrum magnitudine, tantopere intumescere potest, ut totam pelvis cavitatem implcat. 1) Rust 2) casum refert, ubi

1) J. P. Frank, Behandlung der Krankheiten des Menschen. §. 770.

2) Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde Bd. I. p. 33.

pugni virilis magnitudinem assecuta erat. Wichmann [1]) ovi anserini magnitudine eam observavit. Chopart, Petit et alii exempla enormis ambitus tumoris prostatae memoriae prodiderunt. [2]) Qui tumor, nisi jam externo tactui se offert, exploratione per anum instituta facile detegitur. Praeterea haec diagnosin confirmabunt: excitat enim illud malum tensionem et irritationem in perinaeo, sensumque ac si acervulus stercoris in recto adesset. Venae haemorrhoidales intumescunt, alvi excretio, vel si faeces fluidae sunt consistentiae, semper a tenesmo et dolore stipatur; in insigni tumoris ambitu rectum sic comprimitur, ut materiae faecales difficillime permeent. Saepissime simul blennorrhoea urethralis (gonorrhoea prostatica) adest, quae, ut cadaverum sectiones docuerunt, in ipso tumore focum habet. Mucus, qui tota glandula affecta sat copiose effluit, tenacissimus et albumini similis est, filiformiter se extendit et ad vasis fundum firme adhaeret. Home [3]) ejusdem quantitatis atque urinae mictae, indolisque tam irritantis eam vidit, ut membrana mucosa urethrae ab eo excoriaretur. Urina in qua suspensus est, odorem fortem acremque spargit, ab initio pellucida, paullatim turbida fit et facile in putredinem transit. Ejusdem exigua semper copia brevibusque intervallis cum doloribus emittitur, qui praecipue in initio evacuationis, et cum ultimae guttulae stillant, se manifestant. Levamen sentit aegrotus, si erectus et in anterius propensus, nec cum virium intentione mingit.

---

1) Wichmann's Ideeen zur Diagnostik, p. 24.
2) Dictionnaire des sciences médicales. Prostate. p. 479.
3) l. c. p. 24. sqq.

§. 22.

Prostatoncus cum inflammatione glandulae confundi non potest; in hac enim tumor brevissimo tempore exoritur, dolor est intensior, qui sedendo et eundo, nec non sub tactu multum augetur, tum febris semper adest, quae signa in tumore prostatae chronico deficiunt.

§. 23.

Prostatae tumor saepe cum aliis affectionibus, quae vel sequelae ejus sunt, vel ei praecedunt, complicatus est. Huc inprimis pertinent stricturae urethrae, quae gravissimam statuunt complicationem, quod non solum malum multo gravius reddunt, sed etiam difficili immissione catheteris vel cereolorum, curae magnum opponunt impedimentum. His proximi sunt vesicae urinariae morbi, inprimis hujus parietum incrassatio et callositas, effectus frequentis impletionis urinae, quae vesicam irritans inflammationem et subsequentem exsudationem plasticam profert; eadem causa solidorum elementorum urinae sedimentis, lithiasi ansam dare potest. Interdum glandulae tumore collum vesicae ita distorquetur, ut inde enuresis nascatur; nec dyspermatismi impotentiaeque, sequelae hujus mali, desunt exempla. Ischuria denique ureterica, quin immo et ischuria vera, i. e. secretionis urinae cessatio, observata est. Prior oritur, quando tumor partis posterioris prostatae hoc ambitu gaudet, ut fundum vesicae attingat; quo fit, ut ureteres comprimantur et quominus urinam in vesicam immittant, impediantur. Altera ex pressu perpetuo urinae, in vesica et ureteribus, nec non in pelvi renali stagnantis, in papillos

renales tubulosque uriniferos, ita ut paralysis sequatur, exsistere creditur.

§. 24.

Ex sententia Home plerisque in casibus prostatae lobus medius, pars glandulae vasa deferentia inter et collum vesicae sita, praecipuc amplificatus est. Ab hoc lobo tumefacto solummodo, urethrae canalem prorsus obturante, mingendi difficultates creari, dum intumescentia aequali utriusque partis lateralis prostatae canalis urethrae potius dilatetur quam coarctetur, ovi formam assumens.

Tumor glandulae prostatae modo spongiosus et mollis, modo densus et durus offertur, quamobrem in has formas dividitur.

§. 25.

1. Tumor prostatae varicosus. Vasorum prostatae ipsius, nec non adjacentis telae cellulosae, quae in statu normali plexum facile oculis animadvertendum formant, amplificatio huno tumorem gignit. Varicositas saepe tam insignis est, ut magni nodi in vesicae collum promineant. Tumorem hanc prae se ferre indolem ex minore sensibilitate, quam sub tactu ostendit, absentiaque duritiei, cognosci potest.

§. 26.

Causae prostatonci varicosi, non solum in senibus, sed etiam in juvenibus, quamvis rarius, obvii sunt haemorrhoïdes vel praegressae vel adhuc praesentes, stases organorum abdominalium, gonorrhoeae saepius exantlatae, abusus in Venere et Baccho, vita lauta, in-

tentio denique nimia in alvo urinaque edenda. Accidit interdum, ut impetu catheteris, propter dysuriam in usum vocati, vaso varicoso rupto, sanguinis fluxus plus minus largus exoriatur; tantum vero abest, ut hic noceat, ut saepe aegroto levamini sit. Cum hoc malum cum haemorrhoidibus non cohaeret, vasaque varicosa characterem relaxationis prae se ferunt, tum clysmata ex aqua frigida applicata magno erunt emolumento. Plurimum catheter proderit diutius in vesica retentus, quippe qui non solum vasa tumefacta comprimat, sed etiam irritamento vim cohaesionis augeat.

§. 27.

2. Tumor prostatae scrophulosus. Ut aliae glandulae, sic glandula prostatae quoque a scrophulosi corripi potest. Huc casus referendi sunt, ubi glandula friabilis, massam caseosam et coagulatam continens, inventa et a cathetere facile perforata est. Raro tamen tumor hic indolem scrophulosam per longum tempus exhibet, quin etiam causa nociva admissa, vel cachexia favente alium et saepissime characterem scirrhosum vel fungosum induit.

§. 28.

3. Tumor prostatae calculosus. Morgagni[1]) dysuriae plura exempla refert, a calculis in parenchymate prostatae, vel in ductibus ejus excretoriis obvenientibus exortae. Chopart prostatam observavit ambitu magno gaudentem, duram et sacci in modum formatam, glarea impletam. Plerumque calculi prostatici rotundi

---

1) Morgagni, de sedibus et causis morborum.

et sphaeroidales sunt, variaque magnitudine inde a capite acus ad nucem avellanam.

§. 29.

Diagnosis calculorum prostatae non satis perspicua est. In casibus rarioribus calculos per anum tangi licet, cujusmodi casum Marcet refert. Secundum Dupuytrenium, qui propter prostatae calculos pluries sectionem lateralem instituit, praesentiae eorum signa sunt, fistulae in perinaeo, impedimentum, quod per specillum in collo vesicae sentitur, dum in vesica ipsa nihil ejusmodi detegitur [1]) Analysis compositionis chemicae horum calculorum, ad instar coronae rosaceae prostatam amplectentium, a Dupuytrenio instituta, demonstravit calcariam phosphoricam et mucum animalem. Thenard in alia calculi specie calcariam oxalicam invenit.

§. 30.

De causis formationis calculorum prostaticorum nil certi constat; verisimile tamen est, hoc malum vulnerationibus, excoriatione, ulceribusque syphiliticis aliisve partem urethrae prostaticam, vel ductus glandulae excretorios occupantibus, provocari, cum fluxu libero urinae inde impedito infiltrationes urinosae nascantur et uti sequela earum calculi formentur necesse sit. Verum etiam particulae calculi vesicalis, vel glareae in prostatam illapsae, urinae contactu majores semper calculi fieri possunt.

§. 31.

4. Tumor prostatae scirrhosus. — In prostatae

1) Dictionnaire des sciences médicales. Prostate 479.

glandula quoque sicuti in aliis, causa noxia efficiente dataque praedispositione, ille abnormis reproductionis processus, qui scirrhus nuncupatur, enasci potest. Quo statu in organo affecto vita gignitur, quae propriis obedit legibus et cum detrimento reliqui organismi crescit et nutritur. Hoc tumore laborantes sub tactu perinaei alvi excretione et quovis motu fortiore dolorem sentiunt lancinantem, saepe vero non modo in collum vesicae, sed etiam in crura, scapulas, nec non in abdomen, inprimis in regionem lumbalem se extendentem, ita ut non raro error super morbi natura locum habeat, in quem medicus ob dolorum remissionem facilius incidit.

§. 32.

Glandula prostatae hoc in malo duritie cartilaginea partim exulcerata et cum recto accreta inventa est; in aliis casibus minus dura erat, dissecta substantiam albidam vel fuscam multisque interstitiis instructam ostendit.

§. 33.

Causae hujus mali nondum ex omni parte cognitae sunt; constat tamen, id magis senectuti quam juventuti infestum esse. Home[1]) contendit, rarissime virum ad aetatem octoginta annorum pervenisse, ut non hoc malo plus minus affectus sit. Dum hic auctor illos senes, qui juvenes Venere gavisi erant, hoc morbo succumbere affirmat, Wilson e contrario eos ab hac affectione infestari judicat, qui genitalibus suis multo magis parcant, quam naturae legi consentaneum sit; ii quoque huic malo obnoxii esse dicuntur, qui quadam

---

1) l. c. p. 15.

virili sterilitate laborant. Inter dyscrasiae formas causa hujus tumoris potissimum accusantur syphilis, arthritis anomala, haemorrhoïdes a crisi normali aberrantes, scrophulosis, et herpeticae affectiones. Syphilidem quod attinet verisimile non est eam saepius in causa indurationis prostatae esse, quum lues, morbus mehercle non rarus, frequentiores prostatae affectiones in lucem ederet, idque magis in hominibus juvenili aetate; praeterea exempla indurationis prostatae scirrhosae in viris ab dyscrasia syphilitica immunibus huic sententiae repugnant. Veri est simile, prostatae glandulam in senio, nulla praegressa nec adhuc vigente morbosa affectione, iisdem quibus alia corporis organa, e. g. lens crystallina, destructionis legibus obnoxiam esse; constat enim, organon quod functioni suae peculiari praeesse desiit, ut e. g. ovarium, uterus, vi vitali, qua praeditum erat, privari, morbose affici et magis magisque destrui; simile quid accidere debet in prostata, exstincta physiologica sexus functione hujus organi.

§. 34.

Prognosis in universum mala statuenda; morbus enim non solum ad molestas sed ad periculosas pertinet. Rarissime contingit, ut prostata in integrum restituatur; modo volumen ejus diminuere ars valet. Plerumque mors vel cito intrat, ischuria paralytica, vesicae impletae ruptura et subsequenti peritonitide, vel paulatim tristissimus hic exitus, hydrope et hectica, vitae finem imponit, siquidem perdurante irritatione, inflammatio, abscessus, fistulae, urinaeque infiltrationes vires aegroti magis magisque exhauriebant.

§. 35.

Cura. Primum contra dyscrasiam, si qua adest, agendum est; igitur cura contra scrophulosin, athritidem, syphilidem et aliam dyscrasiam instituatur oportet. Multa in hoc morbo remedia laudantur, quae eadem contra aliarum glandularum morbos adhibentur, quibusque vis resolvens tribuitur. Haec sunt Conium, Spongia usta, Kali hydroïodicum, Kali hydrobromicum, balnea marina. Alii Hydrargyrica laudant. Rust [1]) inunctionibus suis methodicis aegrotum feliciter se curasse narrat; tum Antimoniolia, Gummata ferulacea, Belladonna et Calendula majore minoreve cum effectu in usum vocantur. Bonorden [2]) Aurum muriaticum natronatum, a Niel in testis induratione feliciter adhibitum, in prostatae quoque tumore scirrhoso experiendo dignum aestumat. Home pilulas e Cicuta cum Opio in rectum intestinum imposuit, ut loco affecto quam proximae agerent. Rheum cum Elaeosaccharo Foeniculi, vel Tartarus depuratus, vel alia eccoprotica brevibus intervallis porrecta non solum ad levandam alvi excretionem, sed etiam ad diminuendum tumorem conducent. Novissimo tempore magnae Salis Ammoniaci doses (℈ jj. omni bihorio et per plures hebdomades continuatae) a Fischer [3]) et Kuntzmann [4]) felicissimo cum successu adversus hoc malum adhibitae sunt. Quodcunque medicamentum fon-

---

1) Rust's Aufsätze und Abhandlungen S. 79.

2) H. F. Bonorden, die Syphilis pathologisch-diagnostisch und therapeutisch dargestellt. Berlin 1834. p. 219.

3) Rust's Magazin etc. Bd. XI. p. 299. sqq.

4) Hufeland's Journal Bd. 57. St. 3.

ticuli, vel vesicantia ad perinaeum applicata adjuvabunt. Hirudinum etiam ad anum applicatio aliquoties repetita, inprimis vasis haemorrhoidalibus tumidis, levamini magno erunt.

Magnam salutem in hoc morbo praebent Aquae Carolinenses, Kissingienses, Teplicienses, Aquae Sextiae, Mattiacae, Aquae Helvetiae, Aquae Austriacae, Driburgenses, Bariges, Gastein et aliae. Rust itinera pedibus facienda laudat. Sunt, qui desperatis omnibus exstirpationem glandulae proposuerint, quae tamen operatio periculosa nondum est suscepta.

§. 36.

Pauca mihi de usu catheteris in hoc morbo maxime necessarii dicenda sunt. Secundum Home experientiam in prostatae morbis catheteres recti nocent, cum longo temporis spatio opus sit, antequam formam curvam assumant, eamque conservent. Catheter pedetentim ad lineam rectam revertit. Apice ejus in vesicae cavitate non sursum, sed ad posterius verso, paries hujus organi posterior irritatur, qua irritatione saepe fit, ut instrumentum spasmo vesicae provocato magna cum vehementia ejiciatur. Home igitur catheteribus elasticis curvisque, qui in flexione remanent, prae ceteris uti hortatur; metallici nonnisi necessitate valde urgente applicentur, idque cautissima et dextra manu. His enim instrumentis Home frequentes lobi medii prostatae excoriationes, corrosiones vesicae urinariae ejusque membranae internae vulnerationes et inflammationem, nec raro subitam mortem adscribit. De regula catheter facili negotio ad canalis urethrae partem prostaticam ducitur; hic vero et ob angustiam

et curvaturam, quam praebet, quominus progrediatur, impeditur. Cum urethrae pars, quam tumor prostatae adjacet, ad anterius vel superius, vel ad latus utrumque prematur, hoc momentum in dirigendo apice catheteris semper respiciendum est. Oportet instrumentum esse longius reliquis, insigniter curvum et inductum sursum elevari. Juvat etiam catheterem, per digitum manus sinistrae indicem intestino recto immissum, dirigere.

V I T A.

Natus sum Emanuel Holzmann Ostroviae, oppido Posnaniensi, Idibus April., anno hujus saeculi decimo, parentibus carissimis, patre Wolf Holzmann, matre Elka e gente Korminer, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo. Fidei veteri addictus sum. Primis literarum elementis cum domi, tum in schola publica imbutus, Vratislaviam me contuli ibique ad disciplinas, quae in gymnasio docentur, per plures annos incubui. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXXXII. ab Ill. Schulz, t. t. Rectore magnifico, inter civium Academiae Vratislaviensis numerum receptus atque ab Ill. Purkinje, spectabili t. t. decano, classi medicinae studiosorum adscriptus sum. Per novem semestria his interfui scholis:

Ill. Klose de encyclopaedia medica; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Glocker de mineralo-

gia; Ill. Fischer de chemia tam theoretica quam practica et pharmaceutica, eaque corporum organicorum, nec non de doctrina corporum, quae reagentia vocantur; Ill. Stenzel de historia saeculi decimi noni; Ill. Braniss de logice et psychologia; Ill. Henschel de botanice theoretica et practica, de pathologia generali et historia medicinae; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Otto de anatomia hominis universali, comparata et pathologica, nec non de generationis historia. In exercitationibus anatomico-practicis hic vir praeclarus per duo semestria moderator mihi exstitit benevolus. Praeterea audivi lectiones Ill. Barkow de angiologia; Ill. Purkinje de physiologia corporis humani experimentis illustrata et de morbis psychicis; Ill. Seidel de materia medica et de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Remer de therapia generali et speciali; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis rite applicandis ac de instrumentis chirurgicis, de operationibus in cadaveribus instituendis; praeterea examinibus de gravioribus chirurgicis capitibus interesse mihi concessit; Ill. Betschler artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam me docuit.

In scholis clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis Illustrissimi Remer, Benedict et Betschler moderatores mihi erant benevoli.

Tempore aestatis anni MDCCCXLI. Berolinum petii et ab Ill. Lichtenstein, t. t. Rectore magnifico, civibus Almae Universitatis Berolinensis adscriptus et ab Ill. Osann, t. t. decano ordinis medici spectabili, in numerum medicinae studiosorum receptus sum. Semestri aestivo scholis clinicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Jüngken interfui.

Quibus omnibus, quos dixi, viris experientissimis, celeberrimis, valde de me meritis, quas possum maximas ago habeboque gratias.

Jam vero cum tentaminibus, et philosophico et medicis, tum examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Signa pathognomonica non existere.
2. Symptomata subjectiva objectivis postponenda esse.
3. Liquorem amnii foetui nutriendo non servire.
4. Glandula Thymus in vita foetali sanguinis mutationi dicata est.